


R. P. D.

MOLINO

Cracovien. Canonicatus.

Lunæ 7. Maii 1753.

1 CANONICATUS Cathedralis Ecclesiæ Cracoviæ, quem *anno* 1710. in mense *reservato* vacatum a Dataria Apostolica tamquam liberum assequutus fuit *Franciscus* Szembek, indeque per ejus obitum *anno* 1724. eodem *libertatis* Jure sibi conferri obtinuit *Martinus* Zeromski; ac tandem *anno* 1742. ex libera permutatione,

cum Archidiaconatu, dimissione facta a dicto *Martino* in manibus Ordinarii, sub pari *libera* collatione adeptus fuit *Michael* Kunicki jamdudum hujus Ecclesiæ Canonicus: Cum per hujus ultimi Possessoris obitum *anno* 1751. *in mense Novembris* Apostolicæ Sedi *reservato* iterum vacare contigerit, de eo a Sanctissimo juxta *regulam* 9. *Cancellariæ* provideri obtinuit *Fælix Turski*, cujus etiam signatæ supplicationis relaxationem decrevit R.P D. Datarius in contradictorio *Stanislai Zboinski*, qui ad impediendam expeditionem Litterarum favore d. Fælicis, collationem Canonicatus ex nominatione Serenissimi Poloniarum Regis sibi factam opposuerat, ejusque inde captam possessionem allegaverat.

2 At cum dictus *Fælix* Turski intra terminum *sex mensium* in Datariæ Edictis Statutum litterarum suæ provisionis expeditionem neglexerit, ejusdem Canonicatus provisionem pariter *de reservato* a Sancta Sede reportavit Comes *Melchior Gurovvski*, a quo desuper expeditis suæ provisionis Litteris, unacum exequutorialibus directis A.C. Paracciano, prodiit Sententia illarum decernens exequutionem; De cujus Sententiæ viribus cum ob appellationem a *Stanislao Zboinski* ad nostrum Auditorium interpositam dubitatum hodie fuerit sub Dubio = *An sit procedendum ad Legitimam exequutionem Litterarum Apostolicarum*? responderunt Patres = *affirmative*.

3 Litteræ enim *Melchiorris Gurovvski* compertæ sunt in omnibus verificatæ, & potissimum in pertinentia provisionis controversi Canonicatus ad Sanctam Sedem, tamquam profluente ex innegabili *facto* vacationis *in mense Novembris*, juxta Cancellariæ *regulam* 8. *hodie* 9. Datariæ Apostolicæ reservato; Cum autem in hoc steterit præcipuum gratiæ fundamentum, & de eo unice contentio sit, sequitur, quod hoc uno justificato, juste decreta fuit Litterarum hujusmodi celeris, & expedita exequutio; ad *Text. in cap. Si capitulo, ubi gloss. verbo exequatur, de concess. præbend. in* 6. *Rota in Mindonien. Beneficii* 20. *Januarii* 1747. §.2. *coram R.P.D. meo Caprara, & in Leodien. Beneficii* 5. *Maii* 1751. §.3. *coram R.P.D. meo Elephantutio*.

4 Quin præmissorum justificatio excludi valeat, ex quo res non sit de CanonicatuLiberæ Collationis,& ideo subiecto regulæ reservatoriæ Mensium, sed de Canonicatu cum sua præbenda spectante ad Regiam nominationem,& Juripatronatui Regio subjecto, ac propterea exempto ab omni, & quacumque Apostolica reservatione,& signanter a reservatione ex dicta regula nona Cancellariæ ob vacationem in mense Apostolico: *Card. de Luc. de Jurepatr. decis.*6. *num.*24.

Rot.

Rot. decis. 100. *num.* 4. *part.* 12. *post Piton. controv. Patron. allegat.* 48. *num.* 52., & 77. *coram Pamphilio decis.* 589. *num.* 2., *in Vicen. Beneficii* 17. *Februarii* 1713. §. *E converso*, *cor. clar. mem. Card. Aldrovando*.

5 Quandoquidem in hoc possessorio Judicio, quale reputatur illud exequutionis Litterarum Apostolicarum super provisione tamquam de libero, nonnisi de momentanea possessione, deque ultimo statu rationem habere oportet, quem pro decernenda Litterarum Apostolicarum exequutione unice attendendum esse, monet notissima regula deprompta *ex cap. Consultationibus de Jurepatranat.* de qua latissimè *Rota decis.* 179. *num.* 8. *coram Herrera*, *decis.* 247. *num.* 2. *coram Molines*, *in Calven. Beneficii* 8. *Martii* 1748. §. 14. *coram Me*; & *in Posnanien. Parochialis super Institutione* 16. *Januarii* 1750. §. 4. *pariter coram Me*.

6 Apertissime autem militat ultimus status pro libertate hujus Canonicatus, & exclusione Patronatus Regii, quia Patronatus servituti adversatur postrema illius collatio favore *Michaelis* Kunicki ultimi possessoris *sub annum* 1742. libere facta per Eminentissimum Cracoviæ Ordinarium uti Sanctæ Sedis Indultarium, qui eo tempore facta permutatione cum Archidiaconatu liberam hujus Canonicatus resignationem emissam a dicto *Martino* Zeromski receperat: in qua quidem collatione nulla facta fuit mentio Regii Patronatus, nec ulla penitus Serenissimi Regis præsentatio, aut nominatio, vel consensus intercessit; Statim ac igitur constat ultimum Statum favere libertati Canonicatus, nil proponitur, cur subsequens provisio ad tramites præcedentis tamquam de libero, ac S. Sedi reservato facta, sustineri non debeat; ut passim resumpta præmissa regula circa libertatem ab ultimo Beneficii statu desumendam, ratiocinatur *Rota decis.* 113. *num.* 7. *coram Kaunitz decis.* 592. *num.* 7., & 10. *coram Crispo*, *decis.* 83. *num* 9., & *seq.*, & *decis.* 95. *num.* 12. *coram Eminentissimo Tanario*, *in Lucana Beneficii* 20. *Januarii* 1747. §. 3. *coram R.P.D. Clemente*, & 30. *Junii* 1747. §. 3. *coram R.P.D. meo Caprara*.

7 Eoque securius inhærendum erat ultimo statui, cum eidem conformes sint alii duo ex ordine præcedentes *annorum* 1710., & 1724., in quorum primo idem Canonicatus uti vacans in mense Apostolico, sine ullius Patronatus mentione, nullaque intercedente Regis nominatione tanquam liber collatus fuit *Francisco* Szembek, qui usque ad obitum illum retinuit, & in secundo post istius obitum ad nominationem Eminentissimi Cracoviæ Episcopi Sanctæ Sedis Indultarii libere de eo provisus fuit per Reverendissimum Nuncium *Martino* Zeromski, qui ob detentionem incompati-

patibilium novam a Sancta Sede obtinuit hujus Canonicatus provisionem cum dispensatione, nulla exhibita præsentatione, aut consensu Serenissimi Regis, nec ulla Regii Patronatus facta mentione: Hinc si in hodierno Judicio ultimus status sperni non posset, etiamsi ei adversarentur præcedentes collationes, *Piton. controv. Patronor. allegat.*100. *num.*294., *Rota in Leodien. Beneficii* 5. *Maii* 1751. §.7.*cor. R.P.D. Elephantutio*, potiori Jure in hypothesi inhærendum est ultimo statui, cui reliqui præcedentes conformes sunt; *Rota decis.*35. *num.*2. *tit. de Jurepatron. coram Falconer.*, *in dicta Lucana Beneficii* 20. *Januarii* 1747. §.3. *coram R.P.D. Clemente*, *&* *in Posnanien. Parochialis super Institutione* 16. *Januar.* 1750. §.7. *coram Me*. Semperque fortius quoties status prædicti stant pro libertate Beneficii, & servitutis exclusione, & eis proinde urgentissima favet etiam Juris præsumptio: *Cap. Cum venerabilis num.*9. *de exception. Piton. controv. Patron. allegat.*97. *numer.*1. *Rota coram Falconer. decis*55. *tit. de Jurepatron. num.*10., *&* *in Leodien. Beneficii* 5. *Maii* 1751. §. 4. *coram R. P. D. meo Elephantutio*.

8 Quin Regius Patronatus mutuari queat ex eo, quod licet post dimissionem controversi liberi Canonicatus factam *anno* 1742. per Martinum Zeromski libere collatus iste fuerit *Michaeli* Kunicki, illico tamen accedente consensu Eminentissimi Ordinarii promotus, ac translatus fuerit ad alium Canonicatum *Fundi Gorska* Jurispatronatus Regii tunc temporis pariter vacantem per obitum *Gasparis* Szczepkowski, qui itidem ad Regiam nominationem illum obtinuerat *ab anno* 1721. Proindeque cum ex tali permutatione, & translatione dictus *Michael* assequutus fuerit Canonicatum *Fundi Gorska*, super quo tum ex præmissis, tum ex aliis Juribus comprobatur Patronatus Regius, data hodie istius vacatione nonnisi ad Regis gratiam ejusque nominationem conferri poterat.

9 Prolata siquidem translatio, ac subrogatio expleta *Anno* 1742. nec in littera, nèc in substantia præseferre visa fuit *tituli* Canonicalis permutationem de persona in personam, nec *Titularium* translationem de uno Canonicatu ad aliud; Sed firma remanente utriusque Titularis Canonica provisione super diverso Beneficio primævam suam naturam libertatis & respectivè servitutis utroque retinente, nempe quoad *Cajetanum SoltyK* ex Regia gratia de Canonicatu vacato per fata *Gasparis* SzczepoKowski, & quoad *Michaelem* KunicKi ex libera Ordinarii collatione de Canonicatu vacato per dimissionem, & resignationem factam per *Martinum* ZeromsKi, firmoque insimul manente prædicto utriusque provisi spirituali *titulo*, unice præseferre permuta-

ta-

tationem *temporalis Prebendæ*, seù translationem *Fundi*, ac bonorum *de uno* Canonicatu *ad alium*.

10 Porrò si inspiciatur Regium Diploma sub datum *Dresdæ* 13. *Mensis Augusti* 1742., quo Rex consensum præstitit tum translationi *Fundi GorsKa* pertinentis ad Canonicatum sui Regii Patronatus *ad alium* quemcumque *indefinitè* Canonicatum *arbitrio* Eminentissimi Episcopi designandum, tum subrogationi alterius Fundi cum eo permutandi, evidentissimè emergit, actum fuisse de permutanda bonorum *temporali* præbenda, ac de transferendo ab uno Canonicatu ad alium materiali *Fundo* distinctim expesso, ac enunciato tamquam diverso à Canonicatu, ejusque Spirituali titulo, *à quo*, & ad *quem* respective tamquam *terminum* facienda erat commutandi, ac subrogandi Fundi translatio ibi = *Significamus Nos consentire, & permittere Episcopo Cracoviensi, ut possit FUNDUM nuncupatum Gorska spectantem AD Canonicatum NOSTRI Jurispatronatus Regii post fata Gàsparis SzczepkouvsKi vacantem, ALTERI Canonicatui applicare, & pro alio fundo eidem Episcopo BENEVISO commutare.*

11 Idemque summatim exprimitur in summariolo, dicto Regio diplomati adiecto = ibi = *Facultas FUNDUM GORSKA SPECTANTEM ad Canonicatum Cracoviensem post fata Ven. SzecepkouvsKi vacantem, ALTERI Canonicatui applicandi*. Cum autem fundus, ac temporalis præbenda bonorum pro dote Canonicatus constituta res sit propemodum diversa separata, ac distincta à Canonicatu, ejusque Spirituali titulo, utique à relata fundi temporalis *ab uno* Canonicatu mutatione, ac illius applicatione *alteri* Canonicatui, inferre non licet ad permutationem Canonici, ac Spiritualis tituli; maximè dum istorum titulus litteraliter fuit expressus tamquam terminus *à quo*, & *ad quem* facienda erat temporalis præbendæ, ac laicalis fundi translatio; ad *text. in cap. relatum, & in cap. dilectus de præben., cap. cum inter, de renunc. Lotter. de re Benefic. lib. 1. quæst. 19. numer. 8., Rota in recen. decis. 608. numer. 18. par. 5., & decis. 374. numer. 5. par. 9. tom. 2.*

12 Neque diversæ naturæ comperiebatur Actus permutationis dicti *Fundi* GorsKa cum *alio* Fundo, ejusque translationis *à Canonicatu* Regii Patronatus tunc vacante *ad alium* diversum, & distinctum; *dum sub diem 3. Septembris* 1742 = in publico hujus permutationis, ac applicationis actu, seu ejusdem actus publico Instrumento notum fecit Eminentissimus Ordinarius = *Se Michaelem* Kuniki *Canonicum* (qui Canonicatum liberæ collationis per Martinum ZeromsKi dimissum, & resignatum ab ipso Ordinario libere obtinuerat) *DE Fundo Doiazdou nuncupato IN Fundum Gorska per olim Gasparem Szczepkovuski possessum, vigore consen*

sus S. *Regiæ Majestatis dicti Canonicatus*, & *Præbendæ* *sui Fundi GorsKa legitimi Patroni*, *transtulisse*, & *EIDem dictum FUNDUM Gorska applicasse* = *ut in Sum. Stanislai numer*. 20.

13 Idque magis confirmabatur ex ea urgentissimâ circumstantia quod *sub eadem die* 3. *Septembris* 1742. *qua* Eminentissimus Episcopus peregit hanc fundi, ac temporalis prebendæ permutationem, ac respectivam translationem, idem ipse Ordinarius Canonicatum *Regii Patronatus* vacatum per mortem *Gasparis* Szczepkovuski, (qui ex Regia nominatione jam illum possederat) *ex gratia pariter*, & præsentatione ejusdem Regis legitimi Patroni contulit *Cajetano* Soltyk; alius verò, de quo nunc agitur, jam *libere* collatus fuerat Canonico *Michaeli* Kunicki, per cujus obitum nuper vacavit, itaut quatriduo *post jam factam* permutationem Fundi GorsKa prius ad Canonicatum Regium Spectantis, illiusque translationem AB isto AD Canonicatum jam libere collatum *dicto Michaeli*, præfatus Cajetanus Soltyk possessionem sui Canonicatus *Regii* per obitum *Gasparis* vacati adeptus fuerit, tamquam sibi ex regia gratia, ac nominatiue collati; ut pondit possessionis hujusmodi Monumentum *sub datum diei* 7. *Septembris dicti Anni* 1742. referens Canonicatus hujusmodi collationem ex regia nominatione factam ab Ordinario *dicta die* 3. *dicti Septembris* per hæc verba ibi = *R. D. CAIETANUS SoltyK ad Canonicatum per obitū GASPARIS SzczepKovuski immediati possessoris vacantem, authoritate Ordinaria vigore GRATIARUM à S. Regia Majestate sibi concessarum INSTITUTUS productis litteris Institutionis IN DATA DIEI III. Mensis Septembris, Anni currentis expeditis, manu Eminentissimi Episcopi subscriptis, in præfatum Canonicatum installari postulavit* = cui petitioni Regii Præsentati, ac ab Ordinario provisi cohæret realis possessio *ea die* per Capitulum tradita. Quorum omnium documentum erat *in Sum. Stanislai num*. 16.

14 Profecto utrumque actum hujusmodi sub *EADEM die* 4. *Septembris* gestum insimul conferendo, ad evidentiam patet, quod primus continens tum translationem *Fundi* GorsKa constituentis temporalem præbendam Regii Canonicatus tunc vacantis, ad Canonicatum liberæ collationis tunc collatum *Michaeli* KuniKi; tum subrogationem alterius Fundi factam Canonicatui Regio, neutiquam continere potuit permutationem Spiritualis, & canonici tituli horum Beneficiorum. Nam si *idem ipse* Canonicatus Patronatus Regii, à quo facta fuit avulsio Fundi Gorska, & cui alterius temporalis Fundi expleta fuit subrogatio, quoad Canonicum, & Spiritualem titulum *ad Regiam nominationem* uti vacans per obitum *Gasperis* Szczepkouvski collatus fuit

CA-

CAIETANO *Soltyk*, negari nequit quin Canonicatus iste subiectus remanserit primævo Patronatui, & super eo illæsa, & intacta extiterint Iura Serendissimi Regis; & quin alter Canonicatus à *Martino* Zeromski dimissus jam libere collatus MICHAELI *kuniki*, & ex relata temporalis Præbendæ permutatione ad eptus *Fundum Gorska*, in suo primævæ *libertatis* statuquoad titulum permanserit, alias per absurdum dicendum esset, *vel* quod unus, & idem Canonicatus fuisset eodem tempore quoad titulum uni collatus, & ab eo adhuc *retentus* ex regia nominatione, & insimul libere possessus *ab altero*, qui accepit temporalis præbendæ, ac Fundi Gorska permutanionem, & applicationem: *vel* quod firmo manente Patronatu Regio super Canonicatu ad Regis nominationem collato, & in casu futuræ vacationis ad ejus gratiam conferendo, qualitas hæc patronalis ad alium liberum Canonicatum æquo Iure extensa fuisset ob receptam applicationem temporalis fundi ad Regium Canonicatum prius spectantis; contra regulam *text. in L. possid eri §. ex contrario ff. de acquir. vel emitt. possess. Rot. decis.* 55. *numer.* 5. *tit. de Miscell. cor. Falconer. decis.* 102. *numer.* 3. *cor. Herrera, & in Vilnen. Bonorum* 3. *Decembris* 1736. §. 7. *coram R. P. D. meo Vicecomite*,

15 Rectiùs itaque est, ut consentaneè ad præfatos Actus, oppolita translatio Ordinarii authoritate, ac prævio Regio Assensu peracta, nonnisi bona *Temporalia*, & Beneficii mansum respexisse dicatur; itàut *Michael* Kuniki per temporalis Præbendæ sui Canonicatus cessionem, ac permutationem cùm Fundo *Gorska* ad alium Regium Canonicatum priùs spectante, nullatenùs immutaverit titulum sui Canonicatus liberæ collationis, quem adeptus fuerat per dimissionem Martini Zeromski: Minùsque *Cajetanus* Soltick titulum Regii Canonicatus dimiserit; cùm absoluti Juris sit, quod dimissa, ac permutata Præbenda temporali, Spiritualis titulus Beneficii, nec immutatus, nec dimissus censeatur, ut tradunt *Io: Andrea in cap. fin. sub numero* 2., *Ancaran. ibid. col.* 2. *in principio vers. Præterea de consuetud. in* 6, *Cassador. decis.* 17. *in principio de Præbend.*, *Gonzalez. ad Regul.* 8. *Cancellar. Gloss.* 34. *num.* 51., *& seqq.*, *Lotter. de Re Benefic. lib.* 1. *quæst.* 19. *num* 30., *Rota decis.* 10. *sub num.* 2. *de Præben. in antiq. decis.* 2528. *num.* 5., *&* 6. *coram Coccino*, *decis.* 273. *num.* 4. *coram Mantica*, *& in Recent. decis.* 391. *num.* 3. *part.* 19.; potissimùm cum littera, & natura actuum de hac fundorum mutua permutatione superiùs relatorum apertè demonstret, rem fuisse de Fundis, ac temporalibus bonis ab ipso Spirituali Beneficii Jure, ejusque Canonico titulo distinctis, & separabilibus, quam distinctionem, & diversitatem suadet etiam ipsa Juris præsumptio, juxtà quam temporale bonorum mansum,

& la.

& laicalis Fundi Præbenda ſemper à Spirituali, & Canonico Eccleſiaſtici Beneficii titulo diſtincta cenſetur, ad *Text. in cap. Quia ſanè verſic. Niſi Dignitati de Præben. in 6.*, *Lotter. de Re Benefic. libr.* 1. *quæſt.* 19. *num.* 29., *Tondut. reſolut. Benefic. cap.* 110. *num* 28., *Adden. ad Gregor. deciſ.* 478. *ſub num.* 6., *Rota deciſ.* 450. *num.* 1., *&* 2 *coram Pœnia*, *deciſ.* 40. *num.* 2. *coram Rembold.*, *& in Salernitana Canonicatus* 1. *Martii* 1734. §. *Et ſanè coram Emo Cardinali Creſcentio*.

16 Quin præmiſſis obſtare valeat Capitularis Poſſeſſio tradita *Michaeli* Kuniki *ſub diem* 15. *Septembris* 1742. in vim translationis, ſeù applicationis ſibi factæ de Fundo Regio *GorsKa*, ex quo erui contendebatur, præter Fundi, ac bonorum permutationem aſſequutum fuiſſe etiam titulum Canonicatus Regii Patronatus, dum *ea die* in vim prædicti Regii Aſſenſus, ac per Ordinarium jàm decretæ permutationis, ſuæque translationis ad Fundum priùs ſpectantem ad Canonicatum Regii Patronatus, obtinuit *Stallum in Choro dextro ſibi aſſignari*, *cum plenitudine Iuris Canonicalis*; Actus enim hujuſmodi quatenùs concernit Capituli adprobationem permutationis Canonicalis Fundi, & translationis *Michaelis* Kuniki à ſuo fundo Dajazdouu ad hunc Regium Fundum utì ſuo Canonicatui jàm priùs ſibi *liberè* collato applicatum, tamquàm præmiſſis Actibus pediſſequus, & famulativus illorum limites, qualitatem, & naturam excedere non poteſt; Ideòque ſi Regius Aſſenſus, ac permutatio Fundi ab Ordinario Decreta nil ultrà præter temporalem bonorum translationem, ac manſi permutationem continent, quidquid in horum exequutionem ſub quavis formula, ac verborum amplitudine expletum fuit, intrà limites, naturam, & qualitatem Actus exequutioni commiſſi interpretari debet.

17 Traditio verò certi Stalli, & Canonicalis Sedis in Choro aſſignatæ ipſi *Michaeli* cum plenitudine Juris Canonicalis; tribuenda eſt, *vel* Juri Canonicatus ſibi paulò antè liberè collati per factam illius dimiſſionem à Martino ZeromsKi, *vel* Juri, ac Ordini Antianitatis, cujus vigore *Stallum* vacans per obitum Gaſparis SzczepKovvsKi Poſſeſſorem Canonicatus Fundi GorsKa, impleri debuerat per *Michaelem* Kuniki jàm dudùm Canonicum Cracovienſem, tamquàm Seniorem; potiſſimùm cum non conſtet Fundo Gorska adnexum fuiſſe certum Stallum, multòque minùs certo Stallo fuiſſe dependentem Regium Canonicatum, quem de cætero conſtat jàm *ſub diem* 3. *ejuſdem Menſis Septembris ad Regis præſentationem* fuiſſe collatum *Cajetano* Soltyk *& altera die* 7. *ipſius Menſis* plena Poſſeſſione ab eo aſſequutum = *Cum aſſignato Stallo in Choro Loco in Capitulo*, *& plenitudine Iuris Canonicalis*, juncta ſemper ea circum

cumstantia, quod hæc *Regii Canonicatus* collatio fuit *contemporanea*, & cùm abscissione ab eo sui Fundi Gorska, & alterius Fundi subrogatione expleta *sub ea ipsa die 3. Septembris*; Subsequuta verò Possessio capta per Cajetanum *de Regio Canonicatu* posterior fuit dictæ temporalis Fundi abscissioni, *ut suprà notatum est* § 13.

18 Nullius tandèm efficaciæ reputandum erat Testimonium hodierni Episcopi Cracoviensis, quatenùs ex eo comprobari contendebatur, non alium adesse in Cathedrali Cracoviensi Canonicatum Fundi Gorska Regio Patronatui subjectum, quàm qui *Anno* 1742. collatus fuit *Michaeli* Kuniki, quique ab eo usque ad obitum possessus modo vacavit, ad Regis nominationem collatus *Stanislao ZboinsKi*. Siquidèm prior pars dicti Testimonii historicè referens *factum* permutationis, & translationis Fundi Gorska *à Canonicatu* Regiæ nominationis *ad alium* liberum Canonicatum, mirificè comprobat, quod suprà constabilitum fuit, optimè distinguens Spiritualem *Titulum Canonicatus* tunc ad Regis nominationem collatum *Cajetano* Soltyk, a temporali bonorum Præbenda permutata cum Fundo *alterius liberi* Canonicatus, & applicata Canonicatui jàm tunc liberè obtento, ac possesso à Canonico Michaeli Kuniki, ibi = *Licet post obitum Gasparis SzezepovvsKi de Anno* 1742. *CANONICATVS Fundi GorsKa CAIETANO SoltyK ad præsentationem REGIÆ MAIESTATIS collatus, locusque in Choro, & Capitulo assignatus fuerit: PRÆBENDam tamen prædicti Fundi GorsKa Antecessor noster MICHAELI KuniKi, & Præbendam Zeravoska CAIETANO Soltyk applicavit, & contulit.*

19 Altera verò pars ejusdem Testimonialis Moderni Episcopi, in qua sub propria erronea opinione asserit, nullum alium esse Canonicatum Fundi GorsKa Jurispatronatus Regiæ Majestatis, quàm qui à memorato *Michaele* Kuniki ad diem obitus sui possidebatur, non solùm adversatur priori parti sui Testimonii superiùs conscriptæ, in qua relativè ad naturam controversæ translationis bonorum, ac Fundi permutationis clarissimè retulit, & recognovit Canonicatum subjectum Patronatui Serenissimi Regis *Anno* 1742. vacatum per fata Gasparis Szezepkovvski Regii præsentati *ad Regiam itidem præsentationem collatum fuisse CAJETANO Soltyk*, illius verò Temporalem Præbendam, ac Fundum Gorska translatum fuisse *ad alium* Canonicatum liberè collatum *Michaeli KuniKi*, facta Subrogatione Fundi ZeravvsKa favore *ipsius Cajetani de Regio* Canonicatu ad Regis gratiam provisi: Sed etiam contraria est naturæ ipsius translationis superiùs enucleatæ, & contemporaneæ collationis Canonicatus *Regii* factæ favore *dicti Cajetani*, proindèque erroneè nimis, ac insubsistentèr exposuit Canonicatum

tum Regii Patronatus in Fundo Gorska illum esse, qui usque ad obitum possessus fuit *à Michaele*, utpotè qui ex relata bonorum permutatione possedit quidèm Fundum Gorska, & non verò Regium Canonicatum, qui non obstante abscissione dicti Temporalis Fundi, & subrogatione alterius, *ad ipsius Regis* nominationem collatus fuit *Cajetano* super quo Regius Patronatus firmus manere oportet.

20 Ex his constito de sola permutatione Fundi Canonicalis, seù Temporalis Præbendæ, ex qua controversus Canonicatus plenariæ suæ libertatis Statum minimè immutavit, supervacaneum visum fuit *Dominis*, permutationis nullitates à Melchiorre propositas, ubi ea cecidisset super speciali titulo Canonicatus, ad examen revocare, cum satis ipsi sit ultimos libertatis Status afferre, ut Apostolicæ Litteræ ab eo obtentæ sint exequutioni demandandæ.

Et ità &c. Utraque &c.

ROMÆ, Typis Rev. Cam. Apost. MDCCLIII.

Superiorum Permissu.

Druki sejmikowe

dotyczące dziejów

różnych województw polskich

20.000